75

DISPUTATIO MEDICA

DE

FEBRE PESTILENTI,

QUÆ ANNIS MDCCCXVII. ET MDCCCXVIII. STRABANÆ
ET PER LOCA EI VICINA
GRASSATA EST;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS ROGAN,

HIBERNUS,

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM HIBERNICI SOCIUS,

NECNON

AD VALETUDINARIUM STRABANIANUM MEDICUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1818.

VIRO SPECTATISSIMO,

JOANNI JACOBO BURGOYNE, EQUITI,

STRABANAE PRAETORI URBANO,

NECNON

APUD TYRONIENSES ET DONEGALENSES

PACIS CURATORI,

AUCTOR.

Tuae, Vir amicissime, in me benignitatis memor, grates debitas, utinam sane dignae essent, non publice persolvere nequeo. Tibi igitur, quae de Febre conscripserim, Strabaniensibus et vicinis nuper tam exitiosa, et presidiis, quae, auspice viro flebili Marchione Abercorniae, teque ministro, ejus impetum devicerint, sacra esse volui. Animo gratissimo te prosequor, quod omnia, quae opem polliceri viderentur, simul atque suggesserim, praebueris. Neque sane, quod lubens profiteor, ni summum auxilium attulisses, ea pestis exitum tam felicem habere potuisset. Diu vivas, animi et corporis integer, auraeque tibi prosperae semper faveant, oro. Vale.

EDINBURGI,
Kalendis Augusti.

DISPUTATIO MEDICA

DE

FEBRE PESTILENTI,

QUÆ ANNIS MDCCCXVII. ET MDCCCXVIII. STRABANÆ ET PER LOCA VICINA GRASSATA EST.

PRAEFANDA.

SUMMOS medicinae honores ambiturus, ideoque aliquid de re medica literis tradere coactus, febrem maxime pestilentem, quae anno MDCCCXVII. in Hibernia eruperit, et ingentem hominum enecuerit multitudinem, argumento selegi. Nequaquam omnia, quae hic morbus complectitur, describere in animo est: rem sane

tam late patentem aggredi neque inito consilio, nec angustiis, quae opuscula hujusmodi continere solent, convenit. Siquidem mihimet contigit, inter medicinam Strabanae faciendam, febre ista pestilente implicitos curare, quae id oppidum et agros vicinos strage crudeli populata sit; quaeque memoria dignissima huc attinentia scriptis mandare statui. Eoque potius hoc aggredi argumentum visum est, quod, noxis loci propriis alentibus, haec febris haud minus Strabanae quam alicubi Hiberniae saeviit. Ibi medicus ad valetudinarium constitutus, et *nosocomio* febrientibus accipiendis tunc accommodato, una cum fratre praepositus, quam plurimos hac peste correptos indies conspexi; nec ullus dubito, quin ratio medendi, arcendi et praecavendi permultum lucis cito acciperet, si, ubicunque pestilentia grassetur, medici ejus signa, eventus, et causas acriter notatas, et remedia auxiliaque, quorum ope miseris succurrerint, fideliter describerent; variis enim curationibus et exitibus invicem collatis, quid opem, quid perniciem sit laturum, quid inutile sit habendum, ex facili pateret.

Strabana, oppidum in agro Tyroniensi, apud Hibernos, ripis fluvii Mourne adjacet. Ex una potissimum longissima platea constat, ubique pari fere intervallo fluvio distante, cum qua complura angiporta committuntur, ubi pauperes habitant. Pars major hujus oppidi fluvio supereminet, altera planitiem occupat, quae ideo hyeme diluvio obruitur, fluvio non raro ex improviso exaestuante; hunc vero nosse juvat e pluribus rivulis coëuntibus fieri, quos fontes amplissimis Tyroniensibus et Donegalianis montibus enati progignunt. Quatuor circiter hominum millia idem accolunt; quorum plurimi sunt opifices. Agri circumjecti septentrionales, meridionales et occidentales, per pleraque millia passuum, vicis praediisque probe excultis exornantur, ingentique scatent multitudine agricolarum, textorum et aliorum artificum. Orientem versus, et proxime oppidum, eminent montes, qui plurima passuum millia patent; sterilesque, nec arari, nec fruges edere possunt, vallibus angustis interjectis hic illic equidem exceptis. Hinc efficitur, ut populus, qui ea loca incolit, nequa-

quam terra ibi natis ali queat; ideoque pars ejus major se panno linteo texendo, non agris colendis, dedat. Quo ignem sibi adsciscat, carbonis effossi egenus, fomite isto muscoso agris uliginosis genito utitur, cujus montes vicini uberrimi sunt.

Anno MDCCCXVI[to] imbres creberrimi per aestatem et autumnum eo Cereri obstiterunt, ut messis tardissima prodierit; frumentumque vitiosum et aequo parcius ubique fere Britanniarum fuerit. *Solana tuberosa*, eadem de causa, quibus potissimum vulgus Hibernicum vescitur, defecerunt; nec superfuit satis materiae ad ignem idoneae. Inter haec, ex improviso, pecora et panni lintei, opes Hibernorum praecipuae, vili venire coeperunt; et bello, quod tamdiu exarserat, finito, insignis multitudo nautarum et militum exauctorata est: unde opifices omnigeni aut stipendiis omnino caruerint, aut certe tantulis perfruiti sint, ut pene inedia perierint.

Ubi hyems tandem accesserit, permulti pauperum, praesertim monticolae, sedibus relictis, ad oppidum, fame et frigore coacti, confuge-

runt. Stipendiis frustra quaesitis, mendici sunt facti; et paulo postea oppidum adeo iis refertum fuit, ut stips perexigua unicuique data nequaquam suppetierit. Quidam inedia dira pressi spiritum extremum miserrimi efflarunt, et complures, procul dubio, succubuissent, nisi oppidani benevoli officinam publicam constituissent, amplius mille hominibus jusculo quotidie alendis accommodatam.

Ea genera valetudinis adversae, quae hyeme et vere pauperes invaderent, nimis luculenter edocuere, eos victu cum justo parciori, tum etiam insalubri et minus opimo usos esse. Quamplurimi imbecilli contabuere; deinde aqua intercute intumuere; quibus aerumnis non raro intestini malum, *dysenteriae* consimile, accessit. Valetudo ista adversa neutri pepercit sexui; at viros prae mulieribus et pueris implicuit; imo vero eo usque saeviit, ut a mense Junio ad Septembrem fere ducenti aegri me publicum medicum opem petierint. Plerique horum, alvo medicamentis solicitata, urinaeque moventibus et roborantibus datis, ex facili revaluerunt: *Oleo ricini communis* crebrius ingesto, et opio

vesperi dato, signa *dysenteriae* cesserunt. Sanati autem haud raro in morbum reciderunt, victus nimirum salubris et satis alituri inopes: unde non pauci mortui sunt, et praecipue ii, qui procul ab oppido habitaverint.

Dum hi morbi adultos enecarent, *variola* longe diriorem stragem infantibus intulit, quae compluribus annis jam loca excultiora vastare cessaverit, eo quod divites, *vaccinia* arte inducta, eam fugaverant, et perpauci tabum pestilens, quod alteram gignit, inseverunt. Monticolae sane, genus hominum opum egenum, ideoque minus futuri providum, parum adhuc *vaccinia* usi fuerant. Vere eos infantes adorta est, quorum parentes inedia coacti domos reliquerint: quocunque enim pervenerint, secum tenellos portarunt; unde contages quam latissime patuit.

Mensibus Aprili, Maio et Junio, pauci ex oppidanis hic illic febricitarunt. Hi tempestive ad conclave publicum advecti sunt; crebro loti squalore expurgati sunt; stramen cui incubuerint saepius novatum est, sublato semper protinus exusto. Domi febrientium relictae et vacuae calce viva elotae, quo deleretur tabum pes-

tilens: quibus sedulo servatis et exactis, febris non ante mensem Julium vehementer ardere incepit. Tum equidem, aedibus amplissimis unis mendicis refertis, pestilentia quosdam ibi habitantes adorta est: quo factum est, ut febre perquam increscente, valetudinarium omnibus correptis accipiendis et rite curandis impar extiterit; et Augusti circiter dimidia parte elapsa, eo ventum, ut amplius centum, ex omnibus ordinibus, graviter febricitaverint.

Febrem jam ineuntem languor animorum et artuum, nausea, os ingrato sapore exasperatum, et membra omnia leviter horrentia praedicarunt. Doluere simul dorsum, artus, et quadam ex parte caput, praesertim circa frontem et tempora. Arteriae inter haec crebrius et languidius saluere. Paulo postea, summa cutis ultra modum incaluit, arteriaeque motae sunt validius et durius; lingua simul candente et sordida, capitis dolore increscente, sitique torquente. Haec signa plerisque parum mutata per totum febris decursum perstitere: arteriae fere eo concitatae sunt, ut pene continenter centies, aut centies et vicies intra partem ho-

rae LX^mam micuerint. Demum pars media linguae sorde fusca foedata aruit, marginibus ejus albidis et humidis. Die circiter octavo aut decimo, aegri aliquantum delirare coeperunt; nec mens prius redintegrata est, quam febris conquieverit, certeve inclinata fuerit; id quod die fere duodecimo aut decimo quinto evenit.

Quibusdam vehementius implicitis, febris incitata e capitis dolore quaesitissimo, delirio, vultu ruberrimo, et oculis rutilis, incepit. Duo tresve horum febrientium maturius, nimirum, die octavo aut decimo, succubuere. Dira malorum caterva fatum antecessit: pupillae immotae luci oblatae patuere; devorandi facultas pene deleta est; miseri aegerrime anhelarunt; vultus livere coepit; arteriae potius tremuere, quam digitis impositis subsiluere; motuque tam imbecillo et celeri, ut vices numerare vix licuerit. Urina et stercus, solutis fibris motricibus, animi injussu profluxere: cutis sudore gelido maduit; et mors tantas aerumnas sustulit. Hae notae terrentes perpaucos invasere, quibus febris iniens non incitatissima exarserat; his quoque eventus pariter lethalis. Longe pluribus

eorum, qui graviter febricitarunt, delirium principio FEROX, id est, arteriis cerebri concitatis stipatum, sensim in id MITIUS abiit, cui miseri stupere, et eloquendi impotentes mussitare, aut murmura voce languida edere consuerunt. Modo arteriae centies et quadragies, quaque LX^{ma} horae parte digitum admotum pulsarunt, simulque admodum exiliter. Ardor cutis paulatim nunc decrevit; quae tamen adhuc inaruit. Sordes atra linguam et dentes inquinare coepit. Quibus vero fatum jam institerit, et febris pessima saevierit, ii supini et sopiti cubuerunt, nec se in lecto convertere potuere; et obsurdescere soliti sunt: tendines manui impositae subsiluere; nec raro infelices stragulorum fimbrias diduxere, et brachia manusque assidue jactarunt. Paulo ante mortem stupor altus supervenit; aut febre ad finem properante, et sensim iis, qui tandem revaluerint, abire solitus est; quibus simul motus arteriarum tardiores et fortiores facti sunt; distentionesque et tremores evanuere: sordes, quae dentes et linguam obfuscaverat, demum evoluta est: rediitque mingendi et

dejiciendi, aut stercus et urinam retinendi, pro-ut animus jusserit, facultas.

Alvus, ineunte febre, pigerrima fuit, et quamdiu febris permanserit, crebro medicamenta dejectioni moliendae accommodata desideravit. Paucis equidem febrientium soluta sua sponte ab initio ad finem usque fluxit. Dejectiones corruptae pessimae oleverunt, atrae et liquidae. Nonnullos tormina, cupiditas dejiciendi assidua, et dolor circa imum intestinum cruciarunt, descendente stercore perexiguo, cruento, aut pituita misto: quae mala febrem nunquam non aluere et produxere. Aliis, ubi febris jam diutius traxerit, venter tensus intumuit, et manu premente doluit: alvus iisdem tardissima non nisi durum, parcum et nigrum excrevit, medicamentis quoque valentissimis huc saepe necessariis. Ubi ad extrema perventum esset, haud raro singultus accessit; longe frequentius, non semper, mortis ipsius praenuncius; nunquam non summi discriminis index. Perraro cutis maculis coeruleis livuit; quae etiam interdum, aliis signis metum non praedicantibus, extiterunt. Junioribus quibusdam, febre inter prin-

cipia exardente, cutis hic illic inaequaliter erubuit; nec ante deflorescere incepit, quam ardor tepore sani proprio mutatus fuerit.

Febris notas jam propositas sibi praetulit, per totam fere aestatem, et primum autumnum. At hyeme appropinquante, deteriores evenere, et pulmo actionem abnormem permultis subiit. Signa sanguinis illuc impetu graviori delati prodiere; hunc mole majori gravatum, imo etiam subinde inflammatum, tussis crebrior et vehemens, sputi cruenti saepe genitrix, dolor pectoris et difficultas spirandi, denunciarunt. Febre progrediente, haec mala fere sensim decrevere, vel desiere; interdum contra, non prius, quam febris pene hominem reliquerat, ingruerunt. Ex quo ea signa primo apparuerint, omnes fere, qui succubuerint, eorundem impetu potius quam febre absumpti sunt; certeve hoc proferre licet de febrientibus in valetudinarium acceptis. Febris lenior, sudore, alvo sua sponte profusa, aut cursu sanguinis e naribus soluta est: gravior et periculosior ad salutem passu tardissimo spectavit; per duos vel tres dies, vix in melius inclinari percepta est. Haud raro aegri,

sanitate pene recepta, in eam reciderunt, vel quod maturius cubili relicto se vitae negotiis commiserint, vel quod victu lautiori e carnibus confecto, aliisve incitamentis se justo citius repleverint et perturbaverint.

Longe plures ex omnibus, qui febricitaverint, mulieres fuerunt. In valetudinario, cui medicus praepositus fui, foeminae et viri, quoad numerum, eandem inter se rationem habuere, quam numeri 2 et 1; eandem rationem observavi, apud reliquos, quos curaverim. Pueri, quam adolescentes, hi quam adulti et senes, contagem facilius acceperunt. Lege certa statuere non potui, quae aetas, uter sexuum, quaeve indoles eventum lethalem potissimum habuerit, aut intulerit; curandi enim ratio, et alia bene multa extrinseca, eventum insigniter moderata sunt et rexerunt. Pauciores ex pauperibus, quam divitibus et excultis mortui sunt; juvenes etiam saepius quam senio confecti ad salutem rediere.

Pauperes contagi febris genitrici accipiendae aptissimi facti sunt; quippe quos aerumnae acerbissimae hyeme praegressa, nempe inedia, fri-

gus et squalor admodum labefecerint et infirmaverint. Nemini equidem, cui progressum hujus febris videre contigerit, in mentem venire potest, eandem pestilentem non esse. Si paterfamilias, aut mater, aut quivis e multis easdem aedes accolentibus febricitaverit, eo subducto, et in valetudinarium advecto, febris reliquos non adoriri consuevit; hi autem exinde aegrotarunt, si id non fieri licuerit. Hoc praecipue notavi, apud eos agricolas, qui praeter conjuges et natos, multos artifices, textores, &c., domi aluerint. Quanquam inedia, frigus, aliaeque causae, quas retuli, non hos oppresserint, causa tamen excitante, nimirum contage, admota, nequaquam mirandum est, quod omnes iisdem tectis subjecti febre correpti fuerint. Non enim fieri potuit, ut vel divites, validi, et fortes penitus febrientibus disjungerentur: omnes igitur, nobiles et vulgus, adolescentes et senes, plus minusve huic noxae pessimae objecti sunt; objectique in febrem incidere.

Cursus celerrimus, quo haec febris pestilens Hiberniam peragravit, ad contagem vestibus mendicorum haerentem praecipue referendus

esse videtur: pannus enim laneus, et omnigenae res molles, spongiosae et leves eandem fortiter sibi attrahunt. Huc accedit, quod apud Hibernos, populum hospitum et benignum, mendici vagi, quocunque perveniant, sub tectis accipi, et pernoctare soleant; quantoque magis pauperie, fame, et adversa valetudine opprimantur, tanto plus amicitiae et benignitatis experiuntur. Iisdem juxta focum culinae, conclavis omnium commodissimi, apud domus agricolarum, dormire licet: stramen purum et recens iis cubili suppeditatur; at propriis stragulis laneis se cooperiunt: quisque enim mendicorum vagantium, iter facturus, secum stragulum volutum portat, quo noctu se obducat. Si hoc igitur contage inquinetur, pestilentiam, ubicunque evolvatur, dispergat, necesse est. Hyeme et vere plerique pauperum ad oppidum confluxere, opem collata publica pecunia et victu paratam quaesituri. Ubi febris maximum impetum attigerit, urbani divites hoc genus auxilii subducere coeperant: messe enim jam appropinquante, idem minus necessarium duxerunt. Hinc factum est complures febrientium, jam sa-

nitate reduce, imbecillos aut alios, qui iis convixerant, iisdem tabernis inclusos, oppido relicto, agros permeare coactos esse, quo victum, precibus aut aliunde, adipiscerentur, neve fame et valetudine adversa perirent.

Aliquando febrientes, fato ipso instanti, speque prorsus abjecta, inopinato erepti valetudinem secundam receperunt. Alii contra, qui initio leviter febricitaverant, visceribus nimirum integris, quibusque dies complures nulla signa exitiosa acciderant, febre derepente in pejus conversa, et viribus lapsis, celeriter demum abrepti sunt. Illi praesertim in praecipiti versari consueverunt, quibus vires inter principia conciderint; quive jam ineunte febre deliraverint, aut obstupuerint; quibusve lumen oculi, sonum aures aegerrime pertulerint; aut membrana oculi *adnata* plus aequo erubuerit, vel nitorem et pallorem insolitos exhibuerit. Mors etiam iis in propinquo fuit, qui aliquanto ocyus surdi sint facti; aut irritabiles membra saepe inaequaliter jactaverint, lecto exeundi assidue cupidi. Quum febris jam diutius traxerit, perituros fere comperi, quos crebra suspiria, et

spiritus aequo citior et difficilior oppresserint; quibusve sorde jam relata dentes et lingua nigricaverint, vultusque simul luridus intumuerit. Haec quoque, febre jam provecta, fatum haud procul abesse denunciarunt: manus et lingua trementes; tendines manui impositae subsilire percepti; fimbriae stragulorum digitis admotis diductae; brachia et crura huc illuc continenter jactata et dispersa; palpebrae non inter dormiendum invicem commissae, sed oculi patuli: quinetiam, singultus, venter intentior, et manu premente dolens; motus arteriarum inaequales; stupor, urina et stercus animo nesciente nec imperante excreta. Quod si huc accesserint artus frigidi, sudores gelidi, nec ubique aequales, cordis et arteriarum motus exilissimi, et spiritus imparibus intervallis acceptus et emissus, jam nunc infelices animam extremam ducturos fuisse reperi.

Incipiente febre, si nausea, os ingrato sapore offensum, aliaeque notae ventriculi turbam insignem ostenderint, vomitum medicamento ciere; nisi profecto vetuerint notae cerebri pulmonisve incitati aut congesti. Vomitu finito,

alvum purgavi. Intestino demum vacuefacto, aqua frigida ita febrienti affusa est, ut CURREIUS perceleber praecepit. Quoties vero aegri id genus remedii non sustinerent, veluti acerbum et novum, summam cutem aqua frigida lavari jussi, si quando praeter naturam valde incaluerit. Quod si, ingravescente et inveterascente febre, cutis minus exarserit, aqua tepida in hunc finem uti solitus sum, et per totum progressum febris eandem adhibui: quae aegris jucunditatem et solatium insigniter conciliavit. Subinde copias ingessi perexiguas *vini tartratis antimonii, aquae acetatis ammoniae*, aut *citratis potassae* vel *sodae*, per dies paucos post febris accessionem; quo cutis leni maderet sudore: si vero nauseam haec moverint, statim praetermisi. Qui leviter febricitaverint, iis nulla dedi medicamenta, nisi quae dejectionem molirentur; haec remedia sane, a febre instante ad finem usque, utiliter ministravi: nec unquam sivi, ut alvus non semel ad minimum quotidie descendat.

Dolore capitis admodum saeviente, linteis impositis aqua frigida madefactis caput frigefa-

cere admodum profuit. Sin minus, *emplastrum e meloë vesicatorio* fronti admotum dolorem sustulit. Si porro vasa capitis praeter modum turgerent, hirudines quoque temporibus admovi. Si quando nausea et vomitus invaserint, medicamento e *carbonate sodae* et *acido citrico* confecto, et inter effervescendum accepto, cesserunt. Hoc remedium quoque interdum singultum consopivit; at saepius hoc signum molestum nec eo medicamento, neque *tinctura opii, aethere sulphurico, camphora* datis, neque *emplastro meloës* circa ventriculum imposito, quae omnia ad singultum leniendum expertus fuerim, abiit. Alvi fluxus, qui febre ineunte oppresserit, pulveri *rhei palmati,* vel *oleo ricini* cedere solitus est; sed hoc malum, ubi circa finem advenerit, longe deterius remedia astringendi potentissima desideravit; qualia sunt, *tinctura kino tincturae opii adjecta*, vel *potio carbonatis calcis opio juncta:* haec post singulas dejectiones liquidas ingesta sunt. Vesperi deinde liquor mulcens *opio* imbutus per alvum infusus est. Si quando autem alvus pessima et gra-

veolens descenderit, prius medicamento solvi consuevit, quam ista astringentia data fuerint.

Quos signa *dysenteriae* vexaverint, eos expedierunt *oleum ricini*, et *opium* vesperi sumpta. Hoc quoque ad tormina et ani dolorem mitiganda per alvum injectum est; ita enim praeceptum haec mala melius fugavit, nec delirium intulit.

Si venter spiritu intumuerit, alvo expurgata detumescere consuevit. Quod si manu premente doluerit, eum *oleo terebinthinae* fricari jussi: deinde hoc oleum *oleo ricini* mistum, ad alvum solvendam ingessi, unde multum levaminis secutum est.

Perpaucis, quibus maculae caeruleae summam cutem vitiaverint, succum *citri medicae*, et cerevisias manu libera concessi. Febre inveterascente, ubi scilicet cor et arteriae conciderint, languideque et crebrius saluerint, et delirium oppresserit, *camphora*, aut concreta aut liquida, eo data est, ut quinque grana secunda quaque hora vorarentur; huic vinum accessit; cujus raro quivis febrientium amplius uncias octo intra horas XXIV. ingurgitaverit. Pauci equi-

dem ejusdem sueti majorem modum sumpserunt. Apud valetudinaria, saepe cerevisia vini vice satis bene perfuncta est; duae ejus librae quotidie cuique adulto concessae sunt.

Si cui graviter febrienti demum stupor, artus frigidi, motus arteriarum imbecillus acciderint, summam cutem inter scapulas, caput, aut crura emplastro e *meloë* exulceravi; *vino* simul, *alcohole diluto*, *aethere sulphurico* et aliis incitando idoneis largius ministratis.

Tussis et dolor pectoris, quae hyeme valde torserant, (quoties ineunti febri contigerint,) parti dolenti emplastro *meloës* irritatae, medicamentis sputi moventibus, et sanguini subinde parce detracto, cesserunt. Haec mala pulmonis non fere mortem attulere, nisi iis, quos jam senium contriverit, et febris diutius vexaverit.

De *acido muriatico nitrico*ve in sublime lato quo contages deleretur, pauca habeo, quae dicam. Utrumque magis irritando et tussi cienda nocuisse, quam pestilentia debellanda juvisse videbatur.

Sequitur ut brevi sermone enarrem, quibus

artibus legibusque institutis et servatis oppidani et vicini usi fuerint, quo aegris succurrerent, et vim contagis lethalem debellarent, aut extinguerent. Triennio circiter abhinc, Praesides aedium publicarum, quas vernacule "Dispensary" nominamus, perspecta febre pestilenti tunc temporis exitiosa, conclave exiguum febrientibus accipiendis accommodatum extruxerunt. Dum istud conclave omnium febre aegrotantium capax esset, pestilentia passu tardo processit; simul atque vero, lectis omnibus repletis, pluribus huc confugere non liceret, protinus febris tam immanis saevire coepit, ut populum universum perterruerit. Oppidani et vicini pecuniam contulerunt ad valetudinarium constituendum, quo febre correpti adirent; aerario publico aliquid operae eodem collocante. Curia, ubi trimestria curatorum pacis comitia haberi solent, magistratu permittente, (conclave scilicet spatiosum,) in valetudinarium conversa est; et die xi^{mo} ante kalendas Septembris aegri eandem inire inceperunt. Ab eo tempore usque ad kalendas Februarias tricenti et nonaginta accepti fuerant, quorum tredecim mortui

sunt: tricenti sexaginta et quinque ad sanitatem reducti abiere; et duodecim tunc temporis manserunt. Domi, quas aegri reliquerant, aere publico in eum finem praebito, calce dealbatae sunt. Stragula lota, et stramen, quo lecto usi fuerint, exustum; novo et puriori concesso. Vestes aegrorum, simul atque valetudinarium petiissent, ablutae sunt, quas mundas et squalore penitus expurgatas abituri iterum sibi induerunt. Imo vero sumptibus publicis indusium pauperrimis et pene nudis datum est.

Novembre ineunte, vir nobilis Marchio ABERCORN nuper defunctus, cujus erant hoc oppidum et magna pars agrorum vicinorum, vi crudeli pestilentiae cognita, suis imperavit, stationes medicas hic illic per ejus praedia et vicos constituerent, ubi vulgus opem et medicamina sibi adipisceretur. Agri in partes diducti sunt, quarum unicuique magistrum praeposuit, qui tabernas et domos introspiceret, spurcitie expurgaret, et, ubicunque febris eruperit, eas aedes calce viva collueret: ista omnia, sua pecunia collata, hic vir nobilissimus fieri jussit. Ef-

fecit ut tabulae excusae per vulgus dispergerentur, quae optima tradiderint praecepta et leges, de febre arcenda et curanda : et duo ex agricolis spectatissimis, cuique vicorum praepositi, haec omnia rite fieri et servari curarunt. Eorum, quos antea retuli, erat numerum singulos vicos accolentium statuere; et cognoscere, atque notare, quot a pestilentiae ortu febricitaverint, quotve succubuerint. Tabulae hujusmodi summa accuratione confectae sunt : iisque perlectis, patet nullubi febrem istam stragem diriorem aut crebriorem intulisse. Intra sex menses tertia fere pars populi eos agros incolentis aegrotaverat. Pars decima omnium, qui in febrem inciderint, ampliusve, antea perierat quam mense Novembre stationes jam dictae instituta fuerint. Ab iis temporibus usque ad kalendas Februarias, febris eo in melius conversa est, ut tanto pauciores demum febrierint, quanto numerus 1 minor est 2. Febris simul non magis exitiosa quam apud oppidanos ejusdem ordinis facta est. Tabulas adjeci, unde ediscatur quot homines accoluerint, quot die XII. Novembris febre correpti fuerint, quot prius

laborassent, quot mortui fuissent, in unoquoque praediorum. Alias addidi, quae doceant numerum eorum, qui pridie kalendarum Februarii febre plexi sint; et satis indicent, quantum intra decem hebdomadas febris inclinata fuisset; paucioribus scilicet ea vexatis, aut absumptis. Mihi semper lugendum erit, hasce tabulas non prius perfectas fuisse, quam nobilis ille vir a vita decessisset; cui procul dubio cordi fuisset, intellexisse, labores et sumptos relatos, qui eo auspice exacti sint, optime respondisse, et febrem istam tam luctuosam, ut vix alicui illos felices exitus exspectare licuerit, demum debellasse: Deum denique optimum maximum eo tanti beneficii causa et instrumento usum fuisse; pestilentiam omnium pessimam, quae per centum abhinc annos Hiberniam vastaverint, per ejus agros amplissimos immani feritate, qua tabernas pauperum popularetur, eo operam conferente, privatam esse. Hic denique vir nobilissimus comprobavit, quantum nisus idonei valeant ad contagem maxime exitiabilem diruendam; aliique iisdem opibus et copiis beati, ex-

emplar tam illustre summa ope sequantur et imitentur, spero, et solicite voveo.

Quanquam nulla remedia et auxilia, quae adjutura viderentur, praetermissa fuerint, vix tamen credibile est, quantuli constiterint. Decem scilicet solidis empta sunt omnia cuique aegrotorum accommodata. Hic porro nummus perexiguus non solum victui aliisque ejusmodi, verum etiam vestibus, quibus multi pauperum donati sint, parandis habilis erat. Medicamenta equidem hic praetermittuntur; quippe quae officina publica, quae vernacule " Dispensary" nominatur, suppeditaverit: nec tamen ea multi constitissent; perpauca enim et simplicia fuerint.

Ratio curandi, aliaque jam proposita tantum valuere, tantumque Strabanianis et loca vicina accolentibus opitulata sunt, ut non prius finem huic opusculo imponere deceat, quam summa ope edocere conatus sim, iisdem remediis acriter et tempestive ministratis, pestem hanc teterrimam, si quando recideret, nunquam non

radicitus divellendam esse. Neque equidem celandum, ex facili eam redituram, modo renascerentur aerumnae istae jam expositae, quae populum universum, et praecipue vulgus, afflixerint. Talis est Hibernorum conditio, ut quoties, Cerere deficiente aliundeve, pauperibus stipendia mereri non liceat, non nisi emendicando victum sibi quaerere possint. Ad urbes et oppida inter haec confluant necesse est; non enim alicubi auxilium quaesitum comparare sibi queunt: nec mirandum, tam ingentem infelicium multitudinem, squalore foedatam, inedia confectam, pestilentiam exitiosissimam accendere.

Quanquam ubique Hiberniae valetudinaria et conclavia publica extructa fuerint, quo confugerent pauperes febre correpti; eademque insigniter profecerint; magnopere tamen lugeo nullas huc usque rationes fuisse inventas, quibus pestilentiae venturae isti occurratur; unde mala generi humano luctuosissima nascuntur. Tabum vero pestiferum, quod contages vocatur, radicitus extrudi posse, usu satis jam didicimus; una enim ex urbibus Anglicanis amplissima, popu-

loque et opibus referta, olim quotannis febre maligna vastata, ex quo cultus et mundities vulgus expurgare et polire coeperint, valetudinariaque aegris curandis accommodata instituta fuerint, tantum non evanuit. Quo ad exitum tam felicem perveniatur, divites et principes reipublicae summum auxilium conferant opus est: neque, ut existimo, copias huc necessarias denegarent, si clare quanti intersit intelligerent. Procul dubio non minimi referre videtur, nec opera maxima indignum est, rationes excogitare et exequi, unde debelletur et fugetur pestis, quae decimam fere partem omnium Britannorum et Hibernorum singulis annis absumptorum eripere soleat: eoque potius huc niti oportet, quod claro loco natis, luxuque et cultu ornatis, quam vulgo, aliquanto exitiosior et crebrior accidit.

Ubicunque haec febris per agros et vicos potissimum grassatur, iisdem praesidiis et remediis, quae vir ille nobilissimus Marchio ABERCORN, sumptibus propriis comparata servari jusserit, arcenda et expurganda est. Eo magis hisce insistendum, quod ex facili nec pretio

permagno ubique ea consequi et acquirere licet. Quanti autem sint habenda, hinc docemur, quod ipsissima febris, quae initio partem decimam omnium ea implicitorum enecuerit, tanto plures salvos reliquerit, quam morte multavit, quanto numerus 36 exsuperat [1] ; quod denique iisdem praesidiis unicis intra paucas hebdomadas dimidiam aegrotantium partem dimiserat.

Facilius est forsitan urbes magnas et oppida pestilentia hujusmodi artibus liberare. Hunc in finem oportebit, ut optimates medico duci subjecti, omnia ad munditiem publicam pertinentia et quae sunt his similia, acriter circumspiciant; legeque lata sedulo servari jubeant ; tabernas pauperum visant ; neve stragula, toralia, vestes, &c. squalere sinant. Eorundem porro est efficere, ut quisque, simul atque febricitet, protinus valetudinarium adeat, domusque vacua calce dealbetur, perflatu expurgetur, aliisque pestilentiae delendae idoneis objiciatur ; eaque omnia aere publico peragantur.

Nihil magis sane contagi febris genitrici ob-

stabit, quam ut vulgus in conclavibus sordium purissimis habitet, et lectis stragulis toralibusque mundissimis perfruatur. Dictu est vix credibile, quantae miseriae pauperes vestium lanearum, quibus noctu utantur, egenos opprimant. Mihimet saepenumero contigit, infelicem videre, cui, uxori et natis non amplius bina stragula contrita et lacera fuerint, hiemales pruinas caelive caetera mala propria propulsatura. Hi pauperrimi, quo melius sese defendant, noctu iisdem vestibus, quibus interdiu, utuntur; quo fit, ut, uno primo febriente, reliqui dira pestilentia quam celerrime corripiantur. Saepe octo decemve una taberna inclusos concumbere vidi, febre omnes pessima tentatos. Nec pernicies eo limite continetur, sed passim late patet, quoties, febre aliquantum inclinata, jam convalescentes agros pererrant; quibuscunque enim conveniunt, iis tabum pestilens, quo vestes polluuntur, tradant, necesse est.

Si praeter haec, terrarum domini et principes proemia proferrent, non nisi iis tuguriorum incolis perfruenda, qui caeteris munditie et cultu praecellerent; aliaque multa, quae ad bene

et beate vivendum operam conferrent, bene meritis largirentur, (quae omnia iisdem sunt in manibus, nec sumptus grandes desiderant,) nullus dubito, quin vulgus apud Hibernos cito, haud minus quam Britannicum, artibus, quae genus humanum exornant, eniteret. Indole et ingenio felicissimis natura Hibernos donavit. Quantumcunque pateant iis vitiis, quae parum saepe caret genus humanum, illud tamen constat, animi ingrati aut beneficiorum immemoris eos nequaquam esse interrogandos. Virorum igitur nobilium et principum est, officio et benignitate, hasce praeclaras animi dotes excolere, et incitamentum praebere; quo unico deficiente, Hibernia sola, ex omnibus Britanniis, nondum suas facultates rite exercere potuit.

APPENDIX.

I.

TABULA numerum hominum complectens, eos agros et loca accolentium, quibus praeest institutio medica, "Strabane Dispensary" dicta.

Strabanae apud parochiam Camus,	3156	
——— apud parochiam Urney,	507	
——— apud parochiam Leck,	238	
Strabanae igitur habitant homines,		3901
Apud parochiae Camus partes extimas, - - -	2496	
——— Urney, -	4965	
——— Leck, -	5173	
	——	12634
Numerus totus,		16535

II.

Numerus aegrorum hydrope, *dysenteria*, aut febre implicitorum, qui opem apud "Strabane Dispensary," petierint, singulis mensibus anno MDCCCXVII.

	HYDROPE.	DYSENTERIA.	FEBRE.
Februario, -	4	15	13
Martio, -	6	15	6
Aprili, -	3	12	13
Maio, -	3	6	3
Junio, -	23	2	10
Julio, -	107	31	60
Augusto, -	40	22	206
Septembre, -	9	23	287
Octobre, -	13	8	233
Novembre, -	5	4	193
Decembre, -	4	8	140
MDCCCXVIII.			
Januario, -	3	10	83
	220	156	1247

III.

Numerus febrientium, qui valetudinarium subierint, ab die xi ante kal. Septembris MDCCCXVII, ad kal. Februarias MDCCCXVIII, 390

Horum abiere sanati, -	365	
Mortui sunt, - -	13	
Kalendis Februarii superfuere,	12	
	——	390

IV.

Numerus aegrorum, qui quotannis opem medicam acciperint, apud "Strabane Dispensary," ex quo hae aedes publicae institutae fuerint, Maio MDCCCXII. Tabulae extructae esse

consuerunt, usque ad kalendas Februarias, singulis annis.

A Maio MDCCCXII,		
ad Februarium MDCCCXIII,		756
ad Feb.	——— XIV,	1108
ad Feb.	——— XV,	1132
ad Feb.	——— XVI,	1096
ad Feb.	——— XVII,	1332
ad Feb.	——— XVIII,	3931

V.

Tabulae, exhibentes conditionem Febris apud quatuor praedia Hibernica, quae sunt Marchionis Abercorn.

Praedia.	Incolae.	Qui febrierint ante prid. Iduum Novemb.	Qui mortui sunt ante prid. Iduum Novemb.	Qui febrierint a prid. Iduum Novemb. ad prid. Kalend. Februa.	Qui mortui sunt a prid Iduum Novembris, ad Kalend. Februa.	Qui febrierint a pestilentia ineunte.	Omnes qui mortui sint.
Magevelin et Lismalmughrey,	5541	1130	79	330	11	1460	90
Donelong,	3016	753	64	227	6	1080	70
Derrygoon,	2712	652	66	1[illegible]9	5	851	71
	11269	2535	209	756	22	3391	231